



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

99. An si quis vendat librum, quem scit breui prohibendum possit illum
vendere pretio currenti? Idem dicendum est de rebus aliis Ex p. 7. tr. 10.
& Misc. 1. res. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

Quarto faciunt contra mentem Regis, ita enim præcepit sapientissimus Philippus II. vt testatur à Ponte *ubi supra*; sic asserens. Mandauit memorandus Rex Philippus II. per suas particulares literas, etiam cum additione sua propria manu scriptas à me informatas, dum Regentis officium exercebam in supremo Italiae consilio, omnino tolli abusum emendi per ciuitatem Neapolis frumentum carè, & distribuendo vilius postea inter ciues. Sic ille. Quintò faciunt contra mentem Iuriconsultorum, nam contra tale pessimum factum inuehitur dictus celeberrimus Iuriconsultus Ioan. Franc. à Ponte, qui tandem post tot dignitates in sæculo obtentas, in nostram Religionem se ascripsit. Is in *tractat. de potest. Pro Regis. tit. 2. §. 5. per tot.* clarè demonstrat minam ciuitatis Neapolis ex hoc abusu emanasse, quem ex multis rationibus derogetur: legatur quòd dictus Auctor, qui solidè & doctè, vt semper solet, hanc materiam pertractat, & illius additionator, Ioannes Bapt. ita de Thoro citat pro hac sententia Bonifacium & Lessium. Vide etiam doctissimum Ludouicum Mexiam in *pragm. taxæ panis. concl. 4. n. 30.* Sextò, faciunt contra sententiam Theologorum; & ita Tertian. in *2. 2. tom. 2. disp. 41. dub. 3. n. 1.* supponit tanquam certum, ciuitates vendere frumentum eo pretio, quo emptam fuit. Et clarè hoc etiam docet Ioannes de la Cruz in *direct. cons. part. 1. præf. 7. quæst. 3. dub. 5. conclus. 1. in fin.* & P. Salas *tract. de empt. dub. 6. n. 5.* non solum hoc supponit, sed etiam rectè addit, Rempubliam diuidere inter ciues expensas, quas in tritico aduehendò, & seruando facit.

4. In d. Michiel de Palatio *ubi supra lib. 2. c. 1.* asserit quòd si aliqua Respublica tempore confucto, solitam provisionem frumentorum mature fecit, si postea ex aliquo accidenti vilius venderentur, posset in tali casu nihilominus dicta frumenta carius vendere eo pretio quo emerat. inuitis ciuibus & popularibus, adiunctis etiam expensis: & Rodriguez nouissimè in *summ. 10. 4. c. 17. n. 3.* sic asserit. [Puede la Republica obligar à todos los mercaderes luyos y de su distrito à gatar el trigo, conforme lo que costò, auiendo le comprado, para que no huuiesse falta en ella:] & ita accidisse in praxi, in quadam Hispania ciuitate testatur ipse Rodriguez, sic consulens Decurionibus illius vrbs, licet frumentum subsequens anno vilius venderetur, quam anno superiori fuerat ab illa Republica emptum; & ita etiam expresse docet Faust. in *speculo. confess. disp. 6. quæst. 7. §. 79.*

5. Ex quibus omnibus concludendum est, nullo modo ferendum esse abusum vendendi; scilicet frumenta vilius, quam fuerunt empta, & contrarium practicare, vt late probatum est, contra omnem rationem erit. Itaque Illustrissimi Senatores circa præsens dubium, habeant oculos ad Deum, ad Rempubliam, & ad rectam gubernationem, & non ad satisfactionem auræ popularis, vt loquitur à Ponte *ubi supra*. Saluo semper meliori iudicio aliorum præstantissimorum virorum, quibus hæc omnia, & me ipsum humiliter submitto.

6. Post hæc scripta, elapso iam anno, Serenissimus Rex nostram sententiam per epistolam directam Excellentissimo Proregi Marchioni Tauaræ, seruandam esse ab omnibus ciuitatibus huius Regni determinauit, quam epistolam hic per extensum apponere non grauior. Igitur eius verba hæc sunt. [Ha se entendido, que el trigo, que compran las Ciudades de Palermo, y Messina, y otras deste Reyno, se suele veder à mas buent precio, del que les ha costado, de que se les signe mucho interes, y dano, y porque esto es contra las ordenes, que estan dadas, y combiene al bien publico, y a mi seruicio à taxar esto para adelante, he querido encargaros, y mandaros, como lo hago prouey, y deys orden que el trigo, que compraren las dichas Ciudades de Palermo, y Messina, y otras deste Reyno, no se venda, ni pueda

Tom. VI.

venderse a menos precio, del que les huuierè costado, y que se obseruen, y guarden las ordenes, que ay cerca desto sin dispenfar a ellas, en ninguna manera, que tal es mi voluntad. De Madrid a veynte y tres de Enero 1627. Yo el Rey.] Quæ quidem epistola fuit postea executoriata per ipsum Proregem, & Regale Patrimonium, die decimoseptimo Aprilis, & à Senatu huius vrbs die decimonono eiusdem mensis in eodem anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimoseptimo, tempore quo erat Prætor Illustrissimus Dominus Casar Caietanus Marchio Xiirtini, vir pro bono publico natus.

RESOL. XCIX.

An si quis vendat librum, quem scit breui prohibendum, possit illum vendere pretio currenti?
Idem dicendum est de rebus aliis. Ex p. 7. tr. 10. & Milca. 1. Refol. 25.

§. 1. Negatiuè respondet nouissimè Trullench. in *decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 20. dub. 7. numer. 3.* vbi sic ait. Si scires aliquem librum esse prohibendum, eo quod habeat aliquem errorem, non poteris illum alienare vendendo, quia habet defectum intrinsecum. Ita ille, & alij paulo *infra*. citandi.

2. Sed affirmatiuè sententiæ adhæret Eminentissimus Lugo de *iust. tom. 1. disp. 27. section. 8. §. 2. numero 44.* vbi ita asserit. Infertur tertio, quid dicendum sit de vendente librum pretio currente, quem scit prohibendum esse, quod Ludouicus Lopez, & Salon. quos affert, & sequitur Salas *dub. 32. num. 8. in re p. ad secundum*, dicunt esse contra iustitiam, quia vitium illud iam est præsens, cum non soleat prohiberi liber, nisi propter vitium ipsum, vel Auctoris. Hoc tamen probaret, nec etiam ab ignorantie prohibitionem futuram posse sine diminutione pretij vendi, nec posse postea prohibitionem sequi, pretium totum retineri, cum reuera liber ille minus valeret propter vitium, quod iam habebat. Imò licet non prohibeatur, si tamen dignus erat prohibitione, idem dicendum esset, cum vitium non consistat in prohibitione futura, sed in eo quod dignus esset prohibitione. Quare mihi consequenter idem dicendum videtur in libro, quod in rebus aliis, cum ante prohibitionem pretium illius ex communi estimatione iustum sit. Imò videmus quando libri prohibitio futura timetur, solere potius pretium crescere, propter curiositatem, & auiditatem emptorum, qui librum illum legere desiderant: vnde qui postea contra prohibitionem librum vendunt, carius solent illum vendere, quam si non fuisset prohibitus propter maiorem emptorum auiditatem, quæ licet ex peccato oriatur, sufficit tamen ad pretium vulgare augendum. Hucvique Cardinalis de Lugo.

3. Sed vt verum fatear, opinio negatiua est communis, & illam præter Lopez, Salonium, Salas, & Trull. citatos, tenent ex Societate Reginaldus *tom. 2. l. 25. c. 23. n. 346* & Dicastillus de *iust. lib. 2. rr. 9. disp. 4. dub. 8. num. 124.* & 125. sententiam tamen Cardinalis de Lugo puto probabilem esse.

RESOL. C.

An si quis rogatus de futura copia mercium, vel tritici, aut moneta diminutione, vel de discessu Proregis, & Aulæ, dicat se nescire, vel respondeat negatiuè, aut æquiuocè, vel amphibologicè, peccet contra iustitiam, & teneatur restituere? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 46.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docuit Lopez de *con. tr. lib. 1. c. 47. dicto 5.* Lessius verò *lib. 2. c. 21. dub. 5.*